

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CLXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

fra ad veram & plenam warandiam & euictionem faciendam secundum
viam iuris super eisdem, vbicumque sepedictis monachis visum fuerit
oportere. In cuius rei euidentiam & perpetuo valiturum robur, pre-
sentem litteram sigillo nostro sepedictis monachis tradidimus communi-
tam. Acta sunt hec, Anno Domini M. CC. XC. VI. Mense Aprili.

||
(L. S.)



CLXXXV.

RUDOLFI III. MARCHIONIS BADENSIS LITERÆ
QUIBUS VENDITIONEM VILLÆ LANGENSTEINBACH
CONFIRMAT.

ANNO MCCXCVI.

Ex autographo Bada-Durlacensi.

Nos RUDOLFUS Dei gratia *Marchio de Baden*, tenore presencium
publice profitemur, quod vendicionem, quam FRIDERICUS
fratruelis noster *Marchio de Baden* fecit Conuentui de Alba super villa
Langensteinbach & vniuersis attinenciis ibidem ratam & gratam habe-
mus & eam in nomine Domini confirmamus, abrenunciantes pro nobis
& nostris heredibus & Successoribus vniuersis, omni iuri & actioni siue
impeticioni, que nobis & nostris in hujusmodi competeabat vel competere

P p 3

quomodolibet videbatur. In cuius rei testimonium & robur sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum anno Domini M. CC. XC. VI. Mense Aprili.

||
(L. S.)



CLXXXVI.

EBERHARDUS COMES WIRTENBERGICUS ET
UXOR EJUS IRMENGARDIS OMNE SUUM JUS IN VILLIS
LANGENSTEINBACH &c. MONASTERIO ALBÆ
DOMINORUM TRADUNT.

ANNO MCCXCVI.

Ex autographo Bada-Durlacensi.

Nos Eberhardus, Comes de Wirthenberg, tenore presentium publice profitemur & constare volumus vniuersis, quod nos deuotorum in Christo Domini Abbatis & Conuentus Monasterii in Alba ordinis Cisterciensis, Dyecefsis Spirensis conuersationem pio fauore & beniuolo amplectentes, maxime ob Dei & genitricis sue beate virginis reuerenciam & honorem, omne ius, quod nobis in Villis *Langensteinbach*, *Uttelsbur* & *Wolmarsbur* tam occasione actionis, quam eciam hereditatis competebat seu competere videbatur, pro nobis & pro collateralibus nostris *Irmengardi*, (a) vxore legitima, nostrisque liberis remittimus integra-

(a) Irmengardis hæc filia fuit Rudolphi I. Marchionis Badensis.